



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Ab exilii fortuna in altum evectus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE VESPERTILIONE. CAP. IX.

Monstrosa quoque est Vespertilionis effigies, multaque in se mystica continet hieroglyphi-
ca.

AB EXILI FORTUNA IN ALTUM EVECTUS.

CAP. X.

Praecipuumque illud apud Aegyptios tuit, ut per animal hujusmodi significarent hominem, qui debilibus & exiguis viribus, sive nobilitatis, sive fortunae, sive etiam ingenii praeditus, ita tamen repente emerferit, ut non se tantum humo sustulisse, sed subito volatu elatus in sublime ferri videatur: cujusmodi exemplorum plena Roma semper fuit. Vespertilio siquidem licet pennas non habeat, sola tamen membranula fretus volat, ita ut difficulter distinguas, sit ne avis, an mus. Quare apud *Hec à Plin. lib. 10. c. 61.* mythologos argute vaseque duas eludit mustelas, dum se alteri avem, alteri se murem venditat, atque ita capitis periculum evadit.

OFFICIA MUTUA.

CAP. XI.

Mirum vero illud inter hoc tam brutum genus, quod tanta se humanitate complectuntur, ut nulla convenientius specie figurave officia mutua describas, quam per Vespertiliones alterum ab altero catenatim dependentes. Habet enim id genus animalium mutuam inter se quamdam benevolentiam, saepeque veluti catena quadam contexta, si qua illi vis inferatur, mutuo sibi coherent, imbecillitati suae opem sibi invicem afferentes, visaeque sunt alia ab alia alarum hamis unius ad alterum porrectis pendentes, longum veluti funem produxisse.



NUTRICATIONIS FACULTAS. CAP. XII.

Mulierem iidem sacerdotess lactis ubertate fecundam, & bene nutricantem significare si vellent, *Plin. lib. 10.* eamdem ipsam alitem pingebant: quippe quae sola volucrum & dentes & mammillas humanis similes habet, lacteque nutrit pullos, uberibus mulierum in modum admotis. Nam Aegyptii, ab iis quae in unoquoque genere reliquorum naturam aut mores excederent, significationum suarum argumenta desumebant. Quod vero ad mammas pertinet, Graeci hanc alendi felicitatem indicaturi, Dianae simulacrum mammosum effingebant, cujusmodi illud fuit, quod Ephesi tam diu tanto con-
Diana simulacrum mammosum. cursu visitatum, eamque Latini ea de causa multimammiam appellarunt, cujus exempli multa hodie Romae vetusta signa conspiciuntur. Minime vero praetereundum est, hoc loco in impressis exemplaribus Hori perperam legi, *Τὴν αἰμαθὴν καὶ καλῶς ἀνατρέψαν βελόμενοι ζωογονήσαι, τε μὲν ζωογονήσαι, cum ex manuscriptis codicibus antiquis & historia ipsa legendum sit, βελόμενοι ζωογονήσαι, νυκτεῖδα πάλιν ἔχουσαν ὀδόντας καὶ μαστὸς ζωογονήσαι hoc est, Volentes pingere Vespertilionem, idem idem dentes & mammas praeditam pingunt.* Inde sequitur pro redditione causae, *ἔτι γὰρ μὲν τῶν ἄλλων πτηνῶν ὀδόντας καὶ μαστὸς ἔχει.* Siquidem sola ex omni volucrum genere, & dentes simul & mammas habet. Quorsum enim dentes & mammae ad Turtorem alitem minime monstrosam?

LUCIFUGA. CAP. XIII.

Quod si hominem latebris & occulto secessu gaudentem, vel qui rei cuiuspiam metu percussus *Vespertilionum & Formicarum antipathia.* in apertum minime prodire audeat, significare vellent, Formicam & Vespertionis aliam adpingere consueverunt. Ajunt siquidem, eam esse inter Vespertilionem & Formicas naturam discordiam, ut si ala tantum Vespertilionis Formicarum cavo admota fuerit, nulla earum foras progrediatur.